



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Januarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



JANUARIUS.

CIRCUMCISIO  
CHRISTI.

I. Januarij.

*Omne quodcumque facitis, in ver-  
bo, aut in opere, omnia in nomine  
IESU CHRISTI. S. Paul. Coloss. 3.*



Ut ego te exosculor, diem  
candidissimum! o sidus! o  
IESU Nomen! ite jam astro-  
rum Arbitri, dicite sane fa-  
talem hanc mihi stellam esse,  
horoscopum meum esse, ab

haec vitam meam, vitae studia, mortem, o-  
mnia dependere. Recte: quidquid igitur  
agam, IESU auspice, agam. Vigilabo? in  
oculis IESUS erit. Dormiam? IESUM som-  
niabo. Ambulabo? comes IESUS ibit. Se-  
debo? latus claudet IESUS. Studebo? IE-  
SUS erudiet. Scribam? calamus cum ma-  
nu IESVS duet & IESVS IESVM scribet.

A

Orabo

ARI



Orabo? verba IESVS formabit, animabit  
 IESVS. Fessus ero? recreabit IESVS. Esu-  
 riam, sitiam? IESVS pascet, ille potabit.  
 Aegrotabo? Amor aderit medicus, IESVS  
 Moriar? IESV immoriar meo. IESVS o cu-  
 los claudet. IESV sinus mihi tumulus: tu-  
 muli inscriptio IESV nomen erit. Sed heu  
 mihi! mi IESV! Amor meus! quid video  
 quod si vitæ tuæ aurora tam multo cruor-  
 iam rubet, quàm largos imbres sanguinis in-  
 sero vitæ vespere dabis? ô Sol meus! Heu  
 iterum mihi! ô MARIA, ô Cynthia mea  
 an palles? dabis cheu! etiam tu hodie pluv-  
 as: Et ecce imbres lachrimarum ex utroque  
 oculorum cœlo ruentes. Time peccata  
 adolescentia, tute hanc tempestatem dedisti  
 Cur enim hodie jam ad sanguinem ireturi  
 nisi sceleribus tu quoq; fores obnoxia? Ecce  
 die octavo jam sævit culter tuus verè saxum  
 Sed disce ad infanda scelera, disce à cultro  
 tuo crubescere: Disce vulnera agnoscere tu  
 Si nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrum e

MEDITATIO

*In Circumcisionem Jesu Christi*

1. **H**odie facit JESUS, quod ad mortem usque  
 facturus est: obedit Patri, Mariæ, Josepho  
 Deo



Deus obtemperat hominibus, & homines eo usque  
vani erunt, ut Deo, præpositorum ore præcipienti  
repugnent? Vel Deo parere debet, vel cupiditati-  
bus, vel dæmoni. Elige. Ah! cum Deus obediat  
legi, *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puta-  
vis obtemperare.* Bernard.

2. Elucet vel maximè humilitas obedientis JESU,  
in præsepi pauper, in circumcissione habetur peccā-  
tor. Deus, qui alienissimus est à peccato, sic exi-  
navit semetipsum, ut formam acceperit peccato-  
ris, & ego qui in peccatis conceptus, iisq; nutritus  
sum, nolo peccator vocari, nolo minoris æstis  
mari.

3. Amor JESU patet in hoc mysterio, quod  
tam citò velit Salvator appellari, & suum largiri  
Sanguinem in amoris pignus. Hic Sanguis, hæc las-  
chrymæ sunt verba cordis ejus, quibus promittit se  
passurum, & moriturum omnium hominum causā  
Hunc annum inchoa ab imitatione obedientiæ, &  
humilitatis JESU. Tuus sum mi Deus! in hunc  
annum, & in omnem vitam.

---

## S. MACARIUS.

2 januarij.

*Quarite primum Regnum Dei &  
Iustitiam eius, & hæc omnia ad-  
jicientur vobis. Matth. 6. Hæc*



**H**unc MACARIUM nomine suo Alexan-  
 dria, imò fallor, suo ille Alexandriam  
 beavit. VII. annis sine cocto edulio, sine o-  
 mni cibo transegit, Satur interea coeli deli-  
 tiis & piis nunquam non lachrimis ebrius.  
 Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem  
 aggressus, calicum præsidio corpus cinxit;  
 quos inter tum sex adeò menses nudus de-  
 certâset, horum aculeis longè hostem sub-  
 movit. Quid multis? brevi tam parvo mili-  
 te ingentem & formidandum Tyrannum  
 debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacri-  
 lega Venere, &, qui in pœnam delicti cor-  
 pore serpebat, canero eâ lege absolvit, ut  
 ne porro sacrificaret impurus. Nec in ho-  
 mines solùm pius, cœcum feræ nescio cuius  
 partum sputo suo illitum lumine donavit,  
 oviculæ exuviis à grata parente vicissim do-  
 natus. Inter precandum ita se ipsum fertur  
 adhortatus: ANIME MI, NE TE IN TERRAS  
 È COELO DEMITTE: IBI DEUM ET CUM DEO  
 DEI AULAM OMNEM HABES. Viderat nimi-  
 rum quandoq;, quàm multiplici dolo astuq;  
 turbare precantium animos malus hostis  
 niteretur. Ob hæc aliaque ejusmodi prædi-  
 cantibus verè MACARIUM, hoc est beatum  
 ut qui Mundo tam bellè illuderet, illud re-

sponsi



sponsi dedit: caverent ne ipsis Mundus illuderet. Vivere porrò desiit, cum annum ageret centesimum; & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ Religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere.

Ex vit. PP.

M E D I T A T I O

*De fine hominis.*

1. **I**n Deo sumus in hoc mundo, ut Deum amemus, colamus, & æternam salutem consequamur.

Hoc etiam atque etiam meditare: Cultui divino, & tuæ salutis incumbendum tibi, est per hunc annum, & reliquum vitæ tuæ tempus, alia quippe vel vana, vel noxia sunt. Vide, utrum adhuc ex animo quaeris, amaveris, & colueris Deum: pudeat te, futilia tandem quaeruisse. Unus Deus quaerendus est. Etenim *ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleti non potest.* Bernardi

2. Deus homini res creatas permisit, ut finem suum facilius assequeretur. Quemadmodum hominem sibi, ita cetera quæque homini creavit. Quid in rebus creatis acquiescis quasi in ultimo fine? An existimas, veram felicitatem in opibus positam esse? quid res nihili Deo anteponis? quid Dei bonis abuteris in ejus contumeliam?

3. Hoc unum deinceps amabo, quod ducit ad ultimum finem, legibus divinis parebo, virtuti incumbam.

A 3.

cumbam.



gumbam, illecebras peccandi declinabo. Non est mihi necessaria terrena felicitas, cœlum volo. Quære à te sapius, Bernardi exemplo, cur veneris in hunc mundum? An ut existimationi, commodis & voluptatibus servires? Cœlo natus es, Cœlum quære,

*Ad quid venisti?*

## S. GENOVEFA.

3. Januarii.

*Estote parati, quia quâ nescitis hora, filius hominis venturus est.*

Math. 24.

**N**ON ego GENOVEFAM laudem? cum vel parentes ejus, quod talem genuissent, B. Germanus laudavit. Transibat hic Luteciâ Parisiorum in Britannias, Pelagianos oppugnaturus, cum GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latere in ea ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ Religiosæ studium tenella suavit. At illa jam tunc annuit. Ergo mox synon capit nummum. Cruce insignem, jubeturq; è collo suspendere, nullo dehinc muliebri Mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi Sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed su

offici



officii identidem clamitabat esse, templa frequentare. Quare fuit, cum lachrymis suis molestant & clamoribus, mater alapa castigaret. At continuo caeca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio post à Filia, cui dederat lucem, recepit. Cæterum hæc velo inter Virgines involuta, Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomade vinum virginitatis venenum nunquam admisit. Quoties coelum aspexit hoc gaudiis, illa lachrymis plure visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit & sæpiusculè salutavit per nuntios. Apud Reges Childericum, & Clodoveum tantum potuit, ut morte Virgo absolveret, quos iudices damnarant. Sed parum hoc est, quando idem apud Deum potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absolvit. Quid? quod, quem abstulerat, jam imperio GENOVEFÆ, puerum Mors reddidit, ut ne deesset, qui Virginem Matrem clamaret. *EX SURIQ.*

## MEDITATIO

*De Morte.*

**M**orieris, certum est, atque à Deo statutum, Nullus hominum huic resistit legi.

A 4

legi.



legi. Morieris. Capis hoc? propinquos, amicos,  
opes relinques, terra corpus teget. Non videbunt  
oculi, silebit lingua. Quid ita perituris adhæreo?  
Cur tam molliter habeo corpus, quod vermibus  
scatebit? Moriendum est, hoc perpende.

2. Latet me tempus, & locus obitus. Momen-  
tum mihi præstare nequeo. Quam multi hodie oc-  
cident, quibus nunc mortis suæ non occurrit cogi-  
tatio? Si nunc temporis è vivis excedendum mihi  
esset, quid de me fieret? quò abirem? Quis fu-  
turæ penitentiæ spem fecit? Ah! quando tempus  
& locum mortis ignoro, ubique & semper eam  
præstolabor. Quoniam ubiq; temore expectas, si sapiens  
fueris, ubiq; eam expectabis. Bern.

3. Peccato fui obnoxius, an Deo gratus mori-  
entia? ignoro. An futurus sit obitus ad vitam, vel  
ad poenam? nescio. Ad hanc veritatem non hor-  
resco? Faciendum mihi est, ut salus mea ab omni  
periculo tuta sit, mihiq; quasi quotidie morituro  
vivendum. *Fac modò, qua moriens facta fuisse velis.*

---

## S. RIGOBERTUS

4. Januarii.

*Dico autem vobis, quoniam omne  
verbum otiosum, quod locuti fue-  
rint homines, reddent rationem de  
eo in die judicij. Christus. Matth. cap. 12,*



**D**iscite, qui alienam Nobilitatem non  
 aliter ac hæreditatem aditis, amplius  
 etiam vestrâ operâ hanc condecorare; imò  
 domi vestræ, hoc est, apud animum vestrum  
 veram Nobilitatem quærere. Nos ea in re  
 Doctorem ecce vobis RIGOBERTUM sug-  
 gerimus: hic gentis suæ splendorem literis,  
 literas pietate illustravit; Hanc Rhemenses  
 Insulâ ornârunt: ille iterum hanc multis  
 magnisque virtutibus, velut gemmis distin-  
 xit. Sacerdotes primus id loci in unum coë-  
 git, reditusque, de quibus viverent, com-  
 munes fecit. Familiariter Magistro Equitum  
 Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus  
 redeunti à venatione missitabat, multum  
 delectatus, terræ tantum aliquando concessit,  
 quantum RIGOBERTUS, dum ipse dormi-  
 ret, ambulando potuit circumscribere. Ab  
 eo tempore nusquam alibi vel agri lætius  
 ridere, ridentibus nusquam mitius cœlum  
 arridere. Aurea tempora & æternum Ver-  
 diceres. Sed filium Pipini Carolum (ab  
 animo Martio Martellum post dictum) sacro  
 fonti admovit RIGOBERTUS. At Carolus  
 ingratus, quod urbem Rhemensem dolo  
 aggressus, non admissus esset; apertâ vi post  
 fratrem debellatum ingressus, Pontificem  
 sede

sede



fede exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumulum nocte concubia lux ingens visa, & voces è coelo auditæ, multùm humanâ suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri, obsecro, est, quando coelo aures claudimus?

*Hæ Surio*

MEDITATIO  
De *Judicio particulari.*

1. **S**tatim post mortem totius vitæ reddenda ratio est; id credunt Christiani omnes: sed heu! quàm pauci capiunt? Scit Deus quidquid feceris, dixeris, aut cogitaveris, & horum omnium exiget rationem. Heu! ipso mortis momento sciam quid mihi futurum sit per æternitatem. Momentum terribile! hæc meditare: hæc te para, *Domine memorabor justitia tua solius.* David.

2. Deus Iudex est adeo perspicax, ut omnia nò. rit, adeò iustus, ut cujuslibet peccati pœnas sit re. petiturus, adeò potens, ut nemo sit, qui rigidio. ris ejus justitiæ animadversionem effugere possit. Provide rebus tuis. Quid respondebis? Quâ ra. tione peccatum excusabis? Ah Domine! ne deli. ctorum meorum, sed solius infinitæ tuæ misericor. diæ memineris,

3. *Alius.*



3. Alius non erit Iudex, ad quem possis provo-  
care: vix lata erit sententia, cum incipiet tortorū  
carnificina; nihil lachrimæ, nihil gratia, nihil mu-  
nera proderunt ad funesti decreti vel rescissionem,  
vel dilationem. Pro arbitrato meo jam meam  
mibi possum conficere sententiam: sim accusator,  
sim Iudex, sim tortor meus, & nunquam imparatus  
ad reddendam vitæ rationem. *Quid faciam, cum  
venerit ad iudicandum Deus, & cum quaesierit, quid  
respondebo illi? Job.*

## S. EDUARDUS.

s. Januarii.

*Venite Benedicti Patris mei, possi-  
dete paratum vobis Regnum a con-  
stitutione mundi. Christus Matth. 25.*

**E**DUARDVM in utero adhuc latitantem  
fortuna tamen Angliæ Regem legit: fir-  
mavit electionem Cœlum: siquidem in Re-  
gem unus ab ipso Apostolorum Principe  
memoratur. Conjugio porro, ad quod in-  
vitum Regni Proceres traxerunt, Virgini-  
tatem copulavit pulcherrimo matrimonio.  
Pater pauperum, Filius dici poterat summi  
Pontificis, ita hunc semper coluit. Tributa  
liberaliter remisit, postquam iis incubare  
custodem



custodem Orci Cerberum vidit. Jam nec ad  
 vilis mendiculi postulata erubuit, qui mem-  
 bris suis captus, promissam à D. Petro sani-  
 tatem asseverabat, si bajulo ad templum  
 Rege uteretur: quin mox in humeros iustu-  
 lit, pium onus ad aram portavit, stipemq;  
 divitem sanitatem addidit. Sed & coeci non  
 nulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac  
 oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sa-  
 cerdoti cum adesset, conspicuus ei ab ara  
 benè precatus est Christus. Quidvis amore  
 D. Ioannis, quem Evangelistam dicimus, ro-  
 gantibus, nihil visus est unquam negasse.  
 Hanc ille religionem præclare obsignavit  
 annulo suo, dum eum ipsi Divo mendica-  
 bulum adsimulanti dono dedit. Hic annu-  
 lum Regi remisit, simul de mortis hora  
 commonuit: quem nuntium ille toto mox  
 regno vulgavit, quò preces undiq; piorum  
 cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam  
 dives meritis, longum cœli iter ingressus  
 est, anno post Virginis partum M. L. XVI.  
 & quia nullam corpus animo Virgini in vi-  
 ta, mors diu nullam etiam corpori in  
 tumultu labem aspersit.

Ex Surio.

MEDIT.



## M E D I T A T I O

*De gloria Paradisi.*

1. **I**N Cœlis Deo fruimur, ac simul ceteris quibuscunque. Caret hæc lachrimarum vallis delictis, quibus redundat Cœlestis patria. Tam fluxis itaq; voluptatibus abstinemus, in quibus nunquam omnino acquiescit animus, ut potiamur cœlestibus. Deliciae, honores, divitiæ, quàm sordetis Cœlum consideranti! Solo Deo satiatur animus, Ah Domine! *felicitas hæc acquiri potest, estimari non potest.* August.

2. Illic erunt, quæcunque volueris; aberunt, quæcunque nolueris; nullæ lachrimæ, suspicia nulla, nulli dolores, nulla tristitia. In Cœlo merum gaudium, nullo felle permixtum. Sanè æquum est, ut tot delicias emam nonnullis laboribus. Quid enim sunt labores nostri, si cum gloriâ Paradisi, & cœlestibus bonis comparentur?

3. Sed hæc quamdiu? Tota æternitate! Hoc nôrunt Sancti. O felix æternitas? si caperent te Christiani, quid non agerent? Omnia, quæ labuntur eunt tempore, indigna sunt curis nostris. Quidquid æternum est, magnum est. Unam itaq; spectemus æternitatem, & parvi faciamus bona hujus vitæ. Nam omnem omninò fugabit tristitiam cogitatio ejusmodi. *Momentaneum quod crucias, æternum, quod delectas.*

MPI-



## EPIPHANIA.

6. Januarii.

*Invenērunt Puerum cum Maria  
Matre ejus, & procidentes adora-  
verunt eum. & apertis thesauris  
obtulerunt ei munera, Aurum  
Thuris. & Myrrham. S. Matth. cap. 2.*

Salutaverant jam nuper, inter faustas ac-  
clamaciones & cantus festivos, Principem  
cum cœlo delapsi cives, aulamque Nati Re-  
gis quotidie deinceps frequentabant. Sed &  
Orcus rebellis hucusque metu jam suo ve-  
nerabatur. Feræ ipsæ Dominum suum sup-  
plices agnoverant, ut jam aliud nil restaret,  
quàm ut terra etiam officium suum faceret.  
Ergo, ut ad exemplum Regum Orbis univer-  
sus se componeret, tres è regnis suis exciti  
Magi magnis itineribus Bethlemium con-  
tendunt, Sacramentum Christo nato omni-  
um nomine dicturi. Atque ut ne aberrarent,  
placuit Superis, ducem Stellam dare & fallere  
& falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum  
seduloque in Novi Regis cunabula inquisi-



tum. At Herodes in regno suo alium præter  
 se Regem ullum quæri indignatus, barbarâ  
 animo jam tum concepit consilia, mox san-  
 guinem, neces, orbâsque Matres paritura.  
 Aulicis tamen artibus apprimè instructus, do-  
 los dolis texit, & ut noceret, amare se finxit,  
 ut perimeret, adoraturum se hostem etiam  
 ipse promisit. Sub hæc à Magis, sidere iterum  
 Antambulone, Bethlemium perventum.  
 Ibi confidens Stella, velut adventum gratu-  
 latura, hospites Reges è tecto salutavit. Ex-  
 templo ingrediuntur, Regumque Regem in  
 throno suo, Præsepi, Sapientiam in infante,  
 in homine Deum adorant: Addunt deinde  
 tributa, opes peregrinas, Aurum, Thus, Myr-  
 rham. Inde viam aliam in regna avita Dux  
 somnus dormientibus ostendit: sed sicidem  
 hic vigilantem Herodem delusit.

Ex Hist. Evang.

MEDITATIO

*In tria Regum munera.*

1. **O**btulerunt Jesu Myrrham in honorem sacræ  
 ejus humanitatis. Jesus, propter suum in  
 nos amorem, corpus, nostris simillimum assumpsit.  
 Ut quid non redamamus dominum, ipsique corpo-  
 ra nostra non consecramus? Tuum est, amantissi-  
 me



me Jesu, corpus meum; ex te pendet ejus sanitas & morbus; ex te vita & mors. Me felicem! si possem tecum pati, nam tecum regnarem. *Totum me liberaſti, ut totum me poſideres.* Aug.

2. Humanitati JESU accedit Regalis dignitas, ideoque aurum illi offertur, Quæ habemus bona, ea nobis dedit; iis itaque utamur ad ejus gloriam, ad altarium ornatum, & pauperum solatium. In pauperibus Deum videamus. Reges vident in præsepio infantem, pauperem illum quidem, & ab omnibus derelictum, eum tamen ut Regem, & Deum venerantur. Si pauper es, offer Jesu tuam paupertatem, donum hoc præstabit omnibus mundi Theſauris.

3. Oblato demum Thure clarius demonstrarunt agnoscere se divinitatem JESU. Thus tuum sit oratio tua. Ad JESU pedes provolutus, offer suavissimo illi Pueri animæ tuæ facultates. Adora, time. Sed hoc præsertim memineris, aliâ viâ Reges rediisse; pariter & tu aliam in eas vivendi rationem, & ubi viam Christi ingressus fueris, ab eâ ne declines. *Via enim immutatio, vita intelligitur mutatio.* Euf, Emil

## S. LUCIANVS.

7. Januarii.

*Recedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Christus, S. Matth. cap. 25



**P**ossimus hodie ignoscere Samosatæ  
 quando maximum probrum ingenti de-  
 core obruit, & LVCIANVM dedit, qui non  
 jam rideret cœlum, sed & moreretur pro  
 cœlo. Duodennis puer poterat tamen pater  
 dici, dum hæreditatem paternam jam tunc  
 pauperum prædam fecisset. Mox inter Cœ-  
 nobitas adscriptus & Sacerdotio initiatus,  
 Antiochiæ ludum litterarium aperuit, Mi-  
 nerval pauperibus cessit, Libros Christianos  
 restituit & sacra volumina, quæ dudum su-  
 perstitio corruperat, ad Hebrææ linguæ Re-  
 gulam censuit. Sed Maximianus non ne-  
 scius pietatem Christianã non posse rectius,  
 quàm cum Musarum lacte, litteris, inquam,  
 instillari, ad poenas Magistrum tam sancti  
 ludi vocat; quod tamen vel vultus maiestate  
 meliora persuadere LVCIANVS diceretur,  
 non nisi velatis oculis huic impius Aga-  
 memnon locutus est. Promissis primò ingen-  
 tibus in Martyrem pugnavit, tum in cippũ  
 iniecit, post in testarum fragmina. Ultimò  
 fame longã ad deditonem compellere est  
 aggressus. Interea sacrificare constituit LV-  
 CIANVS mirantibus; quĩ id fieri posset,  
 discipulis, cum aræ mensa abesset; vos in-  
 quit, in orbem me cingite & templum eris-

B

tis



ris; sacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit, mox ad ingressos tortores, ter clamat: *Christianus sum*, & subinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum saxo dexteræ appenso. Verùm truncum primò Delphin, semper hominum, sed Martyrum præcipuè amans, in litus extulit. Mox dextra etiam (à Musis credo) efferrè, brachioq; jungi visa est. Non etiam manum tam doctam pro meritis laudaremus, si ad nos Musæ manus illius stygium attulissent. *Ex Surio.*

## MEDITATIO

*De Inferno*

1. Infernus, carcer est puniendis damnatis destinatus. Divino privari conspectu, atrocissimum suppliciorum est. Damnati cognoscent tanti Dignitatis perfectiones, eoque perfrui gestient, sed frustra: Nullum amplius gaudium, voluptas nulla. Pessima conditio! quis te capere posset? Doles aut maximè de peri capitis desiderio, propinqui funere, aut aliis id genus bonis amissis: & orbari te Deo, cujus non magnitudinem, leviùs feres?

2. Damnati patientur, quæcumq; fingi possunt tormenta: famem videlicet, sitim, tenebras, poenitentiam, spectra terrificæ, ignes. Singulæ partes corporis, singulæ animi potentia cruciabuntur. *Democritus*



catule! unius dentis dolori ferendo non es, non potes digitum cerei flammulae vel momento admove-  
 re; qui poteris deditas sceleribus poenas perpeti?  
 s. Hæc supplicia æquabunt æternitatem sine solatio, sine intermissione, sine spe. Proh Deus! si hoc verbum intelligeres *Æternum pati*, quàm tibi amaræ forent voluptates, quàm suaves afflictiones! O æternitas! Ecquis te animo volvit, quin contremisca?, Deum timeat, ac mundum contemnat? O æternitas! Momentanea delectatio æterno plectitur supplicio. Fide, aut mente caret, quem nec movet, nec ad meliora compellit æternitatis cogitatio. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Isai.

# S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

8. Januarii.

*Non enim auditores legis justis sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* S. Paulus ad Rom. 2.

**A** Nnum agenti IVSTINIANO decimū nonum, induta Virginem Divina Sapientia amplexum tulit & osculum. Ab eo tempore omnis illi Mundus desipere, una sapere

B 2



sapere Religio. Ad hanc cum se recepisset,  
 fuit, qui, cum familiaritate (quæ ei cum  
 LAVRENTIO intima erat) destitutum se  
 indignè ferret, ad septa Monasterij cum to-  
 tâ acie sodalium veniret: Cornu unum Ci-  
 tharædi, alterum armati tenebant. Sed  
 utrumque perripit LAVRENTIVS, cap-  
 tumque verbis Sodem in sua jurare verba,  
 manusque dare Religioni coëgit, plauden-  
 tibus utique Superis, quod jam Theseus Pi-  
 rithoum suum, non ad Orcum, sed Cælum  
 comitaretur. Post tamen LAVRENTIVS ad  
 infulam extractus, pater pauperum & ho-  
 stis superborum audiit, mirandâq; egit plu-  
 rima; in ore illud crebrò habuit: EAM DE-  
 MUM ESSE VERAM SAPIENTIAM, SCIRE DE-  
 UM OMNIA ESSE, AT NIHIL HOMINEM, &  
 illud: CÆLO EXCLUDENDOS OMNES FOR-  
 OPULENTOS, NISI EJUS JANITORES PAUPERES  
 PIÂ MANU CORRUMPERENT. Ego palmarium  
 id puto: perituras Venetias fuisse pessimo  
 Sodomorum exemplo, nisi potentior apud  
 DEUM Abrahamo LAVRENTIVS interces-  
 sisset. Porro moriturus plumas respuit, mor-  
 mor, quàm duro lectulo Christus obiisset. Pen-  
 tamen sine plumis in cælos evolavit ann-  
 M. CCCCX, cum justa illi homines inte-



Angeli persolverent, funeris dicam tibi ci-  
nes, an virtutis buccinatores? *Ex suria.*

MEDITATIO

*De officio hominis Christiani.*

1. **V**erus Christianus credere debet omnia,  
quæ fides docet. Quam pauci sunt igitur  
veri Christiani! An mortale peccatum admitterent,  
si penitus crederent, Deum esse, infernum, & Pa-  
radisum? Saepius versetur fides tua circa præcipuas  
ejusmodi veritates.

2. Sermo tuus sit interpretis tui cordis: nihil di-  
cere debes homine Christiano minùs dignum. Tue-  
risne causam **JESU CHRISTI**, si quando in congres-  
sibus homines impiæ, ac solutioris linguæ cum ver-  
bis appetunt? Num, qui te audit, potius Epicu-  
reum te, superbum, & avarum dixerit, quam dis-  
cipulum **JESU CHRISTI**? *Fac omnia, sicut Filius Dei,  
ut dignus sis eo, qui te dignatus est Filium vocare.*  
Bern,

3. An facta tua congruunt fidei tuæ? Ille Chri-  
stianus est, qui vitâ, moribus, laboribus Christi  
exprimit: vana est fides bonis operibus destituta.  
Haud absimilis est vita tua vitæ Ethnici cujusdam,  
vel infidelis. An ex tuâ peccandi facilitate, & ter-  
renorum cupiditate argui posset, credere te para-  
disum, & infernum esse? Nunquam tibi exideat  
regium effatum S. Malachia; *Frustrâ Christianus  
vivit, si Christum non sequar.*



# S. JULIANVS & BASILISSA.

9. Januarii.

*Gaudete, quod nomina vestra sunt  
scripta in Caelis. Christus. S. Luc 10.*

**JULIANVS** unicus Parentum clarissimorum  
Filius, primam ætatem Musis consecravit  
Ex Virgines in Clientis sui pectus amore  
Virginitatis cum litteris instillârunt. Sed ob  
stitere votis Parentes castas aures Hymenæ  
identidem pulsantes. Itaque à cælo ante  
fomnum armatus **BASILISSAM** duxit. Virgines  
rùm precantes thalamo cœlestis primùm  
dor afflavit; mox de servando pudore  
sermocinantibus, cum Matre aliisque Con  
tibus Christus supervenit, qui & auden  
bus animos addidit, & utriusque nomi  
Vitæ libro descripta ostendit. Ita Virgo  
it **BASILISSA**; **JULIANVS** verò etiã  
Martyr; qui dum ad ludibrium totâ  
vinctus circumducitur, **CELSVS** mali  
dicis non malus Filiolus conspicatur eum  
non tam inter lictorum, quàm Cœlit  
manus inambulare. Pedes proinde Ma



ris complexus, & Christum puer non pueriliter & ipse factus, cum JULIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba e flammis splendidior nimirum exit, crescitque Matre etiam Celsi ad Christum adducta. Caput demum omnibus sub annum Christi CCCXI aufertur. Sed neque sic locus coronæ defuit. *Ex Surio.*

MEDITATIO

*De non differenda morum emendatione*

1. **D**EUS vult te saluum fieri. Sic enim amat omnes homines, ut nullius mortem velit, sed potius, ut omnes vitam vivant sempiternam. Ideo Filium suum, mandata, sacramenta, & gratiarum copiam dedit. Quantum tibi debeo, Bonitas infinita, quod mihi tot vias aperueris ad salutem! An fui tot beneficiorum memor? An iis recte usus sum? quâ ratione incubui meæ salutem? Agnosco, Domine, tua in me beneficia, & vehementer doleo, quod iis tamdiu male utens, repugnârim amantissimæ tuæ voluntati.

2. Salus tua ex te, in manibus tuis vita, & mors, paradisi, & inferni. Gaudes libertate, nunquam desunt gratiæ. Ah! possum meam mihi felicitatem comparare, & in manibus meis sunt sortes meæ; & ego dies salutis miserè dilapido! *Amicus Dei, se volens* nunc fœ, si aliquando, cur non modo? *Aug.*



3. Non vis, cum potes; erit aliquando, cum maximè voles, nec poteris tamen. Profectò salutem tuam nihili pendis, cum volens ac lubens ab ejus viâ declines. Velles quidem hujus, & alterius vitæ deliciis potiri, Deo servire, & mundo; hoc fieri nequit. Uni saluti consulere potes, petit Deus; erit tempus, cum non poteris, nec volet Deus.

## S. MARTIANVS

10. Januarii.

*Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. S. Joan. Ep. 1. cap. 1.*

**N**OVIT MARTIANUS maximæ Ædi Bizantii, præpositus, Orationem, quæ cœlos & certius & citius peteret, alarum reddere, creberrima illi jejunia & Eleemosynas jungendo. Multus præterea in extruendis Cœnobiis templisque fuit, monumentis, quæ ferè unica in mortali homine immortalis Deus probat Plenam, quoties foras prodixit, manum circumtulit, cum vacuâ nullû bonâ se inopem passus abire. Veste, quam diu vivis a xii, non nisi unicâ semper usus, hac etiam com  
cum



cum nulli ad manum nummi essent, se exiit,  
 & egenum induit, sed divite lucro, quippe  
 qui deinde, cum seminudus pro arâ divinum  
 cibum in populum partiretur, aureâ palâm  
 à Coelo veste ornari visus est, ut planè jam  
 quæstum, quævisse & pro paupere toga me-  
 liorem ambiisse videri possit. Noctu porò  
 vigil pius urbem obambulabat, vel quibus  
 tunc etiam bene faceret, egenos, vel quos  
 lotos domi curatosq; terræ mandaret, mor-  
 tuos quærens, ex quibus non pauci revixisse  
 inter studia tam sancta memorantur, & alte-  
 rum vitæ parentem MARTIANUM salutasse.  
 Jam grassantem in templum suum, crude-  
 liter flammam, mediis ipse objecto Evan-  
 gelicæ Historiæ volumine stitit, precibus  
 domuit, lachrymis extinxit. Secundùm hæc  
 aliâq; mira, templo, quod ultimum ædifi-  
 cabat, & vitæ finem unâ imposuit.

*Ex Metaphrasæ apud Surium.*

## MEDITATIO

### *De Peccato.*

**P**eccatum malorum omnium maximum est,  
 cum hominem excludat à possessione summi  
 boni, gratiam extinguat, privet hæreditate, & ater-  
 ni vitæ addicat flammis. An hæc attendimus, dum  
 committimus lethale peccatum, quod Dæmonibus

&



& damnatis tot intulit mala? Ah Domine! quid mihi factum esset, si mors oppressisset me statim post peccatum? *Nullè millies damnasses me, si voluisses; noluisti, quia amas homines, & dissimulas peccata hominum propter penitentiam. Aug.*

2. Morbi, temporum vicissitudines, ignorantia, dolor, mors, mala denique omnia ab Adami peccato dimanarunt. Si Deus tot & tam acerbis pœnas dari voluit, & etiam nunc repetat pro peccato, (ut videtur) levissimo; dic age, quœnam & quanta supplicia parat in alterâ vitâ? Si regnante misericordiâ tam severus est, quid futurus est, cum aderit tempus iræ, & justitiæ?

3. In memoriam revoca peccata totius vitæ tuæ. Veniam postula, & à te delictorum tuorum pœnas exige. Tu tibi conscius es, peccata commisisse æternis suppliciis digna: nescis tamen, an penitentia tuâ deleta sint. Hæc cogitatio, & humilitatem, & fremitum cuique ingenerare deberet. Statuas citius mori quam peccare, fuge vel umbram mortalis, aut venialis peccati. Periculosum est, quidquid Deum lædit.

---

## S. THEODOSIVS.

11. Januarii.

*Videte itaq; Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus*

S. Paulus ad Ephes. 5. THEO



**T**HEODOSIUM Cappadocem antrum  
 ajunt incoluisse, rectius regiam dicerent;  
 nam ad illud divertisse hospites primo itinere  
 sui die tres Orientis Reges memorantur.  
 Totus illi penus palmae, cella fons fuit, de-  
 liciae dactyli, herbaeque & lachrymae. Interim  
 fuit, cum centum & amplius mensas paucis  
 panibus pasceret; alias, cum Martiani hospes  
 esset, illeque panem sibi deesse quereretur.  
**THEODOSIUS** in barba Martiani granum  
 haerere, frumenti conspicatus; qui potes, in-  
 quit, queri, qui tot panes in barba circumferses  
 simul granum in granarium ablazum totum  
 hoc complevit & veluti angustias hujus ac-  
 cusaret, extra ostia se, miraculumque effudit.  
 Alias magno Paschatis die, cum nihil in ci-  
 bum suppeteret, Numen **THEODOSIO**  
 mulum submitit instructissimum cibarijs;  
 qua re ille impulsus, semper deinde egenis du-  
 plicavit pium stipendium. Jam mortis me-  
 moriam suis impense commendavit. Eum in  
 finem sepulchrum quandoque fieri jussit, in-  
 terrogavitque, ecquis eo tumulari vellet:  
 Voluit Basilius quidam, qui mox suavissime  
 excessit e vita, nec tamen in oedeo sacro vel  
 videri vel audiri desijt. Praenobilis Matronae  
 filio, dum inter pueriles ludos lapsus in fon-  
 tana



tem cadit, absens THEODOSIVS adfuit  
 gamen spectabilis, & ne aquis mergeretur  
 innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militū  
 Duci vice Loricæ fuit, & victoriam peperit.  
 Sed & tibi contra hostem intestinum victo-  
 riam spondeo, si simili utaris Loricâ.

Ex Surio,

## MEDITATIO

### De bono usu temporis.

1. **N**ihil planè restat temporis præteriti. Quod  
 abiêre florentes anni? quid horum super-  
 est, præter memoriam illicitarum voluptatum, qui-  
 bus eos contaminasti? Meus quasi torrens fluxit  
 vita mea, & quasi somnium præterit. Poteram the-  
 sauros cœlestes mihi comparare, nec comparavi.  
 Ubi nunc amatores sæculi, quos vidisti divitiis, &  
 voluptatibus circumfluentes? *ducunt in bonis die-*  
*bus, & in puncto temporis ad inferna descendunt.* Job.

2. Præsens tempus est in manibus nostris: eo  
 itaque sanctius utamur, quàm præterito. Momenti-  
 tantum quidem est tempus præsens: sed momentū  
 grande, à quo æterna vel felicitas, vel infelicitas  
 pendet. Hoc momentum requirit DEUS; an ipsi  
 denegaturus es? Etiam si forent æterna toleranda  
 ad DĒI fruitionem, an jure conqueri posses? qui

3. Futurum tempus incertum est; nescis plant  
 numerum arenularum horologij vitæ tuæ. Non po-  
 tes vel unicum momentum tibi polliceri. Infœlix  
 quorum



quorum tot vana consilia? unum accipe consilium?  
 Ne peperam abutaris concessio tibi tempore.  
 Hunc diem, quasi supremum; hanc horam, quasi  
 ultimam transigas. Id si sedulo quotidie feceris,  
 nec otio, nec peccatis indulgebis. *Omnem, credo  
 diem tibi diluxisse supremum.*

## S. A R C A D I V S

12. Januarii.

*Si sustinebimus & conregnabimus: si  
 negaverimus, & ille negabit nos.*

S. Paulus 2, ad Tim. cap. 2.

**M**ore Solis Virtus hoc pulchrius niter,  
 quò diutiùs latet. Testem ARCADI-  
 VM adduco. Hic scævientibus ubique terra-  
 rum in Christianos Tyrannis, sivè homo ti-  
 more aliquo, sivè Christi mandato inductus  
 posthabitis Fidei fortunis omnibus, fugâ se  
 subduxit, & aliquamdiu latebras habitavit.  
 Sed nimirum, ut vinceret, fugit; ex latibulis  
 suis velut insidiis hostem expectavit. Etenim  
 cum irruptione in domum factâ, & non re-  
 perto ARCADIO ad tribunal de amicis ejus  
 quispiam raperetur, continuo adfuit; circû-  
 ventum inexpectatò Tyrannum graviterque  
 increpitum jussit omnes pecnas in se experi-  
 ri:



ri: Aciem tormentorum instrueret Tyrannus, ingenio etiam certaret, in auxilium alios etiam Tyrannos evocaret, omnes in subsidiis Carnifices constitueret: sese unicum contra omnia tormenta, etiam nudum staturum, solâ patientiâ pugnaturum, ostensurumq; eâ discicatione, quantum inermis Christianus omnibus minis & tormentis armato Tyranno præstaret. Desperavit tandem iudex de victoria, & sententiam tulit quâ manibus ac pedibus mutilari ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cœlo oculis inter divinas laudes, supplicij locum magnanimitate petijt, membra ad lanienam ipse nudavit ipse singula truncanda exhibuit; itaq; sanguinis sui purpurâ splendidus, sine pedibus ad Martyrum tamen partes transivit, sine manibus palmam cepit. S. Zeno Ep. Veron.

### MEDITATIO De Tolerantiâ.

1. **P**ECCATOR, hac in vitâ patiendum tibi est. Patiaris in alterâ: sudoribus, lachrimis, sanguine peccata sunt delenda. Quas calamitates infligit Deus, eæ sint remedia morborum antea. Vis semper peccare, & nunquam pœnitentia. Cave, versaris in lubrico; pœnas dabis aut in hac aut in alterâ vitâ. Elige.



2. Tametsi confidas, te pœnitentiæ beneficio cum Deo in gratiam rediisse, non ideo tamen lacrimis & laboribus supersedendum: Etsi revelati-  
one constaret tibi, ut quondam Magdalena, tua tibi peccata remissa esse; nihilo tamen remissius operibus pœnitentiæ vacandum esset: & peractæ peccatorum confessioni fidis? Contremisce, semper lachrimare, cum nescias, utrum amore Dei, an odio dignus sis.

3. Viri pij! qui ad perfectionē contenditis, etiam si quotidie ad tertium cœlum raperemini, ut Divus Paulus, ne credatis, inutilem vobis pœnitentiam esse. Parum mihi probantur contemplationes, quæ mortificatione non condiuntur. Si JESUM ex animo amaveritis, exardescet in vobis desiderium imitandi patientiam JESU. *Secura est expectatio Beatitudinis, ubi est participatio Dominica Passionis.* S. Leo.

## S. GODEFRIDVS.

13. Januarii.

*Secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, ut & ipsi in omni conversatione sancti sitis.* S. Petrus I. ep. c. r.

**D**uxit GODEFRIDVS Cappenbergensis Comes genus suum è Regio sanguine. Prædantium suorum militum licentiam, si quisquam



quisquam alius, frænavit, gnarus militiam  
 prædam Ducis esse furtum. Arcem suam in  
 Cœnobium vertit, & D. Norberti familie  
 transcripsit, cum omnibus fortanis, quibus  
 præclarum Auctarium unâ cum fratre Ot-  
 tone ipse accessit. Viderunt hoc multò an-  
 tē in somnis illi, qui de Cappenbergensi arcē  
 vel columnam flammantem, vel Civitatem  
 nive nitidiorē in cœlum viderunt assur-  
 gere. Et verò multa, quò moram tam san-  
 ctis consiliis injiceret, molitus est cognatum  
 sanguis, nunquam non Deo hæreditatem  
 invidens; sed ille, uti alia humana omnia  
 ita hæc etiam insuper habuit, conjugēque  
 inter sanctimoniales relatâ, Norberti insti-  
 tutum avidissimè arripuit. In hoc acerrimus  
 sui hostis & gloriosissimus Victor, vix quicquam  
 quam cibi sumere est visus, tantum lachry-  
 mis inebriari. Cæli cupidissimus missionem  
 corporis accepit anno M G. XXXVI. cunctis  
 moriturus illa audisset: *exite obviam ei, &* vestrum  
 nientem è cœlo comitatum amicissimè salu-  
 vere jussisset. Secundum mortem Nepti sua  
 multâ luce vestitum & coronâ conspicuum  
 se ostendit, quæ illa legentibus loquebatur  
*Induit me Dominus vestimento salutis & tanquam spu-  
 sam decoravit me coronâ.* Pulchrè certè honorum  
 cupid

cup  
 H  
 carn  
 grat  
 mo  
 felici  
 est.  
 turo  
 2.  
 saluti  
 Glor  
 quod  
 conse  
 cunctis  
 3.  
 ivene  
 iaria  
 utem  
 n m  
 anti  
 cupido



cupidos alta conscendere GODEFRIDVS  
 docet, Comitem abiecit, ut Rex esset,  
 Ex Suario.

M E D I T A T I O  
 De Sanctitate, quam DEVS  
 à nobis exposcit.

**H**æc est Voluntas DEI Sanctificatio vestra: Ad  
 hunc finem DEUS & homines creavit, &  
 carnem assumpsit. Patet cuique via, cuique datur  
 gratia ad sanctitatem. Age verò, an cupis, ex ani-  
 mo fieri sanctus? Si velis, fies, salus tua gloriæ &  
 felicitati divinæ nihil planè addit: Tua solius inter-  
 est. Quid ad hoc usque tempus fecisti, & quid fa-  
 cturus es ad tuam sanctificationem?

2. Non vult Deus, unâ eâdemq; ratione omnes  
 saluti ut incumbant Sexcentis viis itur ad æteram  
 Gloriam. Sunt sancti cujuslibet conditionis. Vide  
 quodnam vitæ genus complexus fueris, ut illius  
 consequaris perfectionem, hanc enim à te expos-  
 cuit. Alia est vita solitarij, alia mundani. Attende  
 & vestrum sanctos imiteris, qui idem vitæ institutum  
 mè saluauerunt.

3. Qui quatit, & arripit occasiones patiendi in  
 vivendi genere, quod elegit, is nactus est compen-  
 sariam viam ad apicem perfectionis; occasiones  
 utem ejusmodi neminem deficiunt. An iis uteris?  
 n morem geris Domino, secretiori voce te vo-  
 anti? Tyrannos vicere primigenij Christiani, &  
 neglectis

C

neglectis



neglectis suppliciis ad sanctitatis coronam pervenerunt  
Dimicant Patres nostri contra asperimos dolores, non  
in contrario dimicemus contra mollissimas voluptates. E

## S. FELIX.

14. Januarij.

*Qua est enim vita vestra? vapor  
est, ad modicum parens.* S. Iacob.

**F**ELICI Nolano cum Fratre Germano  
ita convēnit, ut ignobilior hæreditas  
portio, id est Terra Fratri, melior vero  
hoc est Cœlum FELICI cederet, ut cum  
Christo militaret, Germano Imperatoris  
stra sequente. Ita divisis vitæ studiis FELIX  
sacris est initiatus. Ob fidem deinde in vitæ  
cula conjectus ab impiis, sed exemptus  
Angelo, jussus est emeritum Præsulem Ma  
imum quærere. Eum in eremo repertum  
semianimem precibus primò, dein uis  
quas de spinis legerat, recreatum domum  
suam deportavit. Hinc cum denuò hostes  
ei imminerent, obcoecati divinitus, quos  
auribus suis loquentem audierant, aper  
oculis non viderunt. Fugientem porro  
intra geminarum ædium parietinas abd  
tem sese, improvise opere suo aranea te



& fuit tam tenuis tela propugnaculum tunc  
**FELICI**. Hic Cælitum manu pastus VI. men-  
 ses, & alloquio divino dignus, Infulâ etiam  
 esset ornatus, nisi id dignitatis ex innatâ  
 animi demissione in alium ipse transfulisset,  
 quòd eum septem diebus ante se sacris ini-  
 tiatum diceret. Obiit tandem **FELIX** felici-  
 ter, tamulumq; Templum est nactus; quod  
 cum augustius postea D. Paulinus reddere  
 laboraret, solique rusticani duo ædes suas  
 transcribere negarent, ecce tibi! ignis no-  
 cturnus recta rusticorum depastus amplissi-  
 mam arcam descripsit. Neque hoc solum,  
 sed & aliis deinceps miraculis **FELIX** luxit.

*Ex Surio*

### MEDITATIO

#### *De lectione piorum Librorum.*

1. **E**vangeliū, & pij libri jure lumen Mundi  
 dici possunt, quo nimirum lumine illustra-  
 tus intellectus salutiferas æternæ vitæ veritates intui-  
 detur. Enim verò piorum librorum lectione cog-  
 noscimus Dei bonitatem, malitiam peccati, pœni-  
 tentiæ necessitatem, & ea demum omnia, quæ ad  
 salutem necessaria sunt. Ah! si daremus operam, ut  
 mens nostra tam salutaris lumine frequentius illustra-  
 retur, si sæpius, & attentius libros pios legeremus.  
 sanè minoris terram, plus verò Cælum æstima-  
 remus.

C a

2.



2. Cùm hoc lumen intellectum illuminat, excitat etiam voluntatem; Hoc enim interest pios inter & profanos libros, quòd hi quidem sterilem aliquam lucem menti præbeant; illi verò & mentem illuminent, & pectus sacris ardoribus accendant, quod videre licet in Sanctis, Hilario, Augustino, & Ignatio, quorum primus conversus est lectione Evangelij; alter Sancti Pauli; tertius vitæ Sanctorum. Nescis, an velit Deus, ut prædestinationis tuæ gratia pendeat à lectione pij alicujus libri,

3. Cùm pium librum legis, persuasum tibi sit (inquit Augustinus) verba libri hujus esse verba Dei, qui vult, ut ea, quæ legis, & intelligere, & ad usum revocare studeas. Oportet, ut egregiam semper aliquam sententiam memoriâ retineas, eam interdum in die, in animo volvere, & regere stare possis; sed cura potissimum, ut praxis lectionem sequatur. *Sit tibi assidua lectio, vel oratio, nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum.* Cyprian.

## S. PAULUS.

15. Januarii.

*Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Christus Lu. 14.

**P**AVLVS Thæbaeus XV. annorum adulescens plus Decium quàm cremum horum

rui:



ruit. Certè hoc unum imprudens Decius  
 boni fecit, quòd ex Christianis Eremicolas  
 fecit. Eos inter deinceps PAVLVS perhibe-  
 tur, cui in centesimum usque annum ac de-  
 cimam spelunca reatum, una eademq; ar-  
 bor Palma & victum & vestem dedit. An-  
 nus agebatur Christianus CCCXXXIV. cum  
 ad eum divino jussu visit Antonius, atque  
 tunc prudens dispensator Corvus, qui an-  
 nos jam LX. dimensum suum PAVLO quo-  
 tidie afferre assolebat panem dimidiũ, hos-  
 pitis memor duplicavit annonam. Secun-  
 dum hæc, cum, ita monente PAULO, ve-  
 stem sepulturæ allatum iret Antonius, pri-  
 usquam rediret, abire inter Cælites in Cælos  
 amicam videt; reperitq; genibus humi ad-  
 huc fixum, passisque brachiis omnino oran-  
 ti similem. Cum ultimum proinde officium  
 mortuo præstaret, in eo socios duos Leo-  
 nes habuit, qui sepulchrũ egestâ humo pa-  
 rarunt, & mœrenti Antonio crebro mœ-  
 roque rugitu & ipsi adgemuerunt. Hinc  
 domum revertit nimium quantum gaudens  
 poliiis opimis, hoc est tunicâ PAVLI è fo-  
 lis palmæ concinnatâ. Certè non nisi max-  
 imis quibusque diebus festis in ea visus est  
 superbire, ut ego minùs jam mirer ab Hic-





38. (080)  
ronymo eam palmata etiam Imperatorum  
purpure pralata, quando in illa magnus  
Antonius triumphavit. Ex S. Hieron.

## MEDITATIO

### In vitam Sancti Pauli.

1. **S**PAULUS, declinans occasiones peccandi, fugit in solitudinem, cum animadvertit, fidem & castitatem Christianorum, deliciis oppugnari. Si amas hanc virtutem, si tibi cordi est flos castitatis, fuge occasionem. Ecce hostem! quem fugisse est. Euseb. Emiff.

2. Ad tempus duntaxat statuerat Paulus, se in solitudine mansurum; verum illum Deus tot deliciis cumulavit, ut mundum & voluptates æternæ valere iusserit. Quid timetis ignavi? vocat Deus vult vos mundi vinculis expediri: probate, experimini, quàm iucundum sit Deo penitus committere sese. Vix bene cœperitis, cum fugient omnes difficultates? imò purioribus deliciis affluetis, non. *Omni homini converso non subtrahuntur delicia, immutantur.* Aug.

3. In hac solitudine annos 80 perseveravit, nullum viderit hominem, præter S. Antonium, divino ductus spiritu eum invisit. ignescis tu quæ in initio, sed igne stramineo, qui proxinè extinguitur. Macte, perge, tanti est Deus, tanti est æterni, ut in cæptâ virtutis viâ constanter ingrediaris, cuius Deus tempus laboris exiguum, remunerationem mensuram. Euseb. Emiff.

S. Ful



## S. FVRSEVS.

16 Januarii.

*Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite. S. Ioan. 1. Epist. cap. 2.*

**E**X Anglia FVRSEVM accivimus. Iuven-  
ta eius prodigiis plena reliquæ vitæ  
prælusit, post hanc à Musis transit ad mo-  
nachos: mox Doctor sanctioris vitæ & Cœ-  
nobii conditor, in quod passim victos ora-  
tione sua à mundo abstraxit. Interea sub An-  
num D. CXLIV. semel iterumque animo è  
mortali corpore exiit; ductoribus Angelis  
bonis, qui vel ignea malorum tela clypeo  
excipiebant, vel quas de minimis etiam vi-  
tæ noxis adversarii noctebant accusationes,  
diluebant. Iam verò è cœli specula orbem  
contemplatus, cum à quatergemina scelerum  
flamma (perfidiam, rerum fluxarum cupidi-  
tatem, discordiam, atque in miseros cru-  
delitatem Angeli dicebant) ardere omnem  
didicisset, cum à cœlestibus Choraulis le-  
vem omnem laborem, quantumvis ma-

C 4

gnum



gnum, omne tempus quantumvis longum ad æternitatem breve esse audiisset; à binio è numero Divorum Præsulibus iussus est ad corpus redire, & flagitiosos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Coelitem Societate avelli, præsertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus, toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cœlumque oratione suâ depinxit, annosque porrò XII. sceleratis in viâ reducendis impendit. Post hæc, cum Romam pietatis causâ contenderet, prius vitam quàm viam emensus est. Integritatis testimonium de mortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno & ipsum integrum Animus illuc ivit, quò assueverat jam ire

Ex Surio.

MEDITATIO

*De mundi depravatione.*

I. **I**N mundo primas habet vanitas. Quisque studeat, aliis præcellere in verbis, factis, & dibus vestimentis: Eademque vanitas nonnunquam corrumpit sanctiora pietatis officia. O sæculum! quantâ tumescis superbiâ! liquidò patet, te Dæmoniorum superbiorum parenti obsequium præstare, & à placitis JESU CHRISTI penitus abhorrere. Quis fieri potest, ut is honores sitiat, qui opprobria nascens, & morientis JESU consideraverit?



2. Voluptas tam commune vitium est, ut artium penè omnium finis videatur: trahit quemlibet sexum, & quodlibet hominum genus. Qua ratione malum tam latè patens vitabis & fugâ duntaxat. Recede ab urbe Sodomâ, ne communi pereas incendio: si tamen mundi vinculis expedire te non possis, palàm profiterè, te hostem esse deliciarum ac voluptatum ejus.

3. Insatiabilis habendi cupiditas est mundi tyrannus, diu noctûque ejus explemus mandata. Oblectamentis, famâ, sanitati, salutem divitias plerùmque anteponimus. Quid multa? Aurum Deus est mundi, tamesi dixerit Christus: Beatos pauperes esse. Ut cœlestibus bonis potiaris, terrena relinquant, affectu certè, si minùs effectû. *Qua mundus appetit, Crucem redutes: & illis, qua crucem mundus reputat, toto amore inhereas.* Bern.

# S. ANTONIUS

## ABBA S.

17. Januarii.

*Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, qua habes, & da pauperibus, & habebis Theaurum in Cœlo, & veni, & sequere me.*  
Christus: Matth. cap. 19.

Aegyptus



**A**gyptius erat ANTONIUS, & domi sua  
 nobilis. In primo ætatis flore mundo  
 moriturus ex asse pauperes hæredes scribit  
 subinde victoris adversus hominū hostes ma-  
 los genios nobilitatus; ab iis plagis aliquan-  
 do pessimè acceptus, dum IESVM suum fa-  
 miliariùs deinde rogat, ubi id temporis fu-  
 isset: adfuisse spectatorem pugnae audit  
 Tam propè à DEO absumus, etiam cùm  
 longè abesse nos putamus. Aliàs dum mun-  
 dum æquioribus animi oculis arbiteratur, a-  
 ream esse aucupis videt laqueis undique ob-  
 rectam: scire percupidus, quis hos effugeret  
 responsum accipit, qui animo demisso esse  
 Subinde Martyrum pugnis cùm Actor ad-  
 esse non posset, spectator adfuit & hortator  
 iudiciq; sæpe in veste candida obvius mo-  
 tem nequicquam ambiit, Eremo pugilem  
 sibi deposcente. Illic cùm ageret, à Con-  
 stantio filiusque Imperatoribus persæpè li-  
 teris salutatus, vicissim eos officii sui com-  
 monefecit, & à suo ad divinum tributum  
 crebrò iussit advertere. Natus annos C.  
 V. ista suis suggestit documenta: Vivere  
 quotidie morituri, quotidie melioris animi  
 proposita novarent, IESVM assiduè suspi-  
 rent, hoc nomine clypeo in hostem us-  
 rentu



rentur, hæreticorum familiaritatem fugien-  
do effugerent. S. b hæc mortuus anno à  
partu Virginis CCCLVIII, vitæ præconem  
magnum Athanasium habuit, uti & hære-  
dem pallioli sui laceri quidem & detriti, sed  
quod virtutem sciret tegere. Ex s. *Athanas.*

## MEDITATIO

*In vitam S. Antonii.*

1. **A**ntonius fugit, & aspernatur mundum, ut  
vocantem Deum sequatur, generosè qui-  
dem ille, omninò, sine morâ, atque in ipso æta-  
tis flore. Quoties audivisti ea ipsa verba, quæ  
traduxerunt Antonium ad perfectiorem vivendi ra-  
tionem? Quoties secretiorem Domini vocem in-  
tellexisti? obdurâsti cor tuum. Manes in sæculo:  
amas sæculum, quod te curis, & anxietatibus tam  
malè habet: *Turbat me mundus, & ego eum diligo:  
quid si non turbaret?* Aug.

2. Mundus sequitur Antonium, in eremum fu-  
gentem, voluptatum, divitiarum, honorum adhi-  
bet illecebras, utitur blanditiis; minis, illusioni-  
bus, tormentis ut extrudat eum ex solitudine: sed  
qui mundum in mundo vicerat, eundem in eremo  
faciliùs superavit. Humilitate, Oratione, Auste-  
ritate, Invocatione JESU tentationes quasque de-  
bellavit. Cave, ubique tentationes, ubique Dæ-  
mon, ubique Caro.



3. Par pari mundo referre voluit Antonius; ve-  
nerat in solitudinem adversarius, ut eum aggrede-  
retur; Sanctus vicissim in ejus castra irrupit, in  
mundum quippe ad tempus rediit, ut martyribus  
animos faceret, & nutantes in fide Christianos con-  
firmaret. Viri pij! solitudo, & suavitas orationis  
nonnunquam relinquenda est animarum causâ, ut  
exemplo S. Antonii cum verbis, tum factis adver-  
sus mundum depugnetis.

S. P R I S C A  
VIRGO ET MARTYR.

18 januarij.

*Nolite timere eos, qui occidunt cor-  
pus, animam autem non possunt  
occidere: potius timete eum, qui  
potest & animam & corpus per-  
dere in gehennâ.* Christ. Mat. 10.

**E**tiam ab imbelli columba suam exar-  
mari ferociam doluit Claudius Tyrannus;  
eoque vehementius, quod annis & ar-  
mis potens, hostem nactus esset fortitudinis  
& constantiâ superiorem. Nunquam turpi-  
us cecidit, quam quando cum inermi im-  
paribus armis certavit. Fuit furoris eju-

scopus



scopus Adolescentula Prisca, non minus  
 prisco avorum sanguine, quam novo pugnae  
 genere illustris. Iam decimo tertio aetatis  
 anno in aciem pro Christiana libertate ausa  
 est descendere. Nemo huic duplicem Vir-  
 ginitatis & Martyrii lauream invidet: Nam  
 & Leones, qui castitati, & Leones, qui  
 corpori nocere poterant, devicit. Tum  
 maximè se Nobilem professa, quando ficti-  
 tio Apollini Thus adolere iussa, se Christi  
 sponsam asseruit: sed non tulit impunè os,  
 R. veritatem dixisse; mox colaphis dirum fœ-  
 datum in carceris tenebris conticescere co-  
 gitur; nec solū os luit, sed & reliqua mem-  
 bra in poenarum societatem vocantur: quæ  
 cor- ferventi adipe laridoque, tanquam ceroma-  
 sum- te ad Agonem, peruncta leoni dilaceranda  
 qu- obijciuntur: sed hic Imperatore humanior  
 per- ambisse castas plantas contentus, ponit fe-  
 o. ociam. Inde triduanâ inediâ emaciata vires  
 exat- non amisit; imò fortiores advertit, dum in  
 yran- quileo extenderetur, licet etiam ungulæ  
 & ar- erreiq; pestines in eam suos exercerent fu-  
 uadin- ores. Iam etiam flammæ parcunt: Stetit  
 turpi- ò gloriosior Virgo, quò pluribus rogis co-  
 i im- asca suam mundo declaravit innocentiam.  
 eju- Tandem quamvis aetate tenera, cælo tamen  
 pus- natura, Tyranni ferro Christo cadit víctima.



## MEDITATIO

## De bono, &amp; malo timore.

1. **H**omines non sunt timendi, quoniam nocere animæ nequequam possunt: Corpora quidem doloribus afficiunt, sed levioribus & brevioribus; eos tamen magis times, quàm Deum, nobiles quippe potentem quempiam verbis aut factis exasperare, & coram alicujus nominis viro inurbanitatis argui, omninò te puderet; non pudet tamè Deum quotidie offendere verbis, factis, cogitationibus. Ubi ratio, ubi fides tua?

2. Tolerantias, morbos, paupertatem, tristitiam, dolores, ac cætera vitæ præsentis mala respicere. Quid nocent afflictiones? A rebus crebris segregant, corpus debilitantes animæ rumpunt vincula, mœstam exilii conditionem indicantes, cæcitate patriæ cupiditatem accendunt. Ah! non hujusmodi sed futuræ vitæ labores sunt timendi.

3. Times dedecus, calumniam, abjectionem, læpenumerò, ut incolumem famam tuearis, per amicitiam Jesu. An nescis miser, verum honorem in virtute positum esse? Quid refert, utrùm ab inimicis æstimeris, nec ne, modò æstimet, & remuneretur te Deus. O cæcitas stupenda! Quæ majora sunt Imperatorum placita, quàm Christi, timemus, Evangelium contemnimus. Hieron.

S. A.



## S. ABUNDANTIA:

19. Januarii.

*Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hac est victoria, qua vincit mundum fides nostra.*

S. Ioan. Ep. 1. cap. 5.

Satis laudasse ABUNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære Campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cum sacro fonte tingeretur, dicuntur lampades templi suapte sponte accensæ & infantium lucem, & urbi infantem gratulatæ esse, ipsaq; ABUNDANTIA jam tunc in innocentis faminae patrocinium (adulterii rea agebatur) fuisse facunda. Jam octennem ferunt ab icone Pueruli IESU, MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod manu fortè pictum gestabat, petiisse, & adeò impetrasse; *αριδαρον* deinde flores (ab hyeme donatos) eidem attulisse, & ut acciperet, persuasisse. Sed hucusque cælum cum puella lasit; quæ dicam, severiora sunt. Itaque memorant cum Majolo Abbate matreque; Jerosolymam iniisse, cum cætera Christi vestigia

stigia



stigia, tum illa potissimum venerabundam  
 exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis  
 fessus obviam MATREM habuit, heu! alte-  
 ram tunc oculis suis crucem; hinc lachrimis  
 diffluere voluisse ABUNDANTIAM; hinc  
 flagris ita in sese sævisse, ut sicut oculi in fon-  
 tem, ita sanguis fusus in rivos abire videretur.  
 Abhinc Angelo Duce in antrum Onuphris  
 devenisse, illicque faminam viri vitam vix-  
 isse. Ad extremum repertam à patre redu-  
 ctamq; in patriam, omnem, hoc mortuo,  
 hereditatem egenis cessisse, mortuam dein-  
 de etiam ipsam pro funere ab Angelis lau-  
 datam cantu fuisse. *EX FERTAY.*

## MEDITATIO

*De constantia in pie susceptis.*

1. **A**D finem usque constanter perseveret, qui  
 mercedem sperat laborum suorum: Domi-  
 nus non mutatur, dedecet servos mutari. An non  
 sequum est, ad brevissimum vitæ tempus ejus non  
 esse, qui noster futurus est totâ æternitate? virtus  
 hæc parùm placet Deo, quæ augetur vel minuitur  
 pro nostrâ levitate.

2. Nihil planè suscipias, nec ad gloriam quidem  
 divinam, quin prius, quid inde sequi possit, dili-  
 genter prævideris; Ubi verò quidpiam suscepisti  
 ad Dei gloriam, continuo spretis difficultatibus suis

septum



ceptum perſe . Martyres nullis unquam cruciati-  
bus a Chriſtianâ fide potuere dimoveri . Sancti in  
poenitentiae laboribus perfeverârunt , carne relu-  
tante , & Damone tentationes plurimas immit-  
tente .

3. Augendarum fortunarû occasio ſi detur, pro-  
tinus, & quovis periculo arripitur; deficit animus,  
ſi Dei cultus augendus ſit . Nunquam planè defa-  
tigaremur in via virtutis; ſi vitæ brevitatem & in-  
certum finem, ſuppliciorum atrocitatem, & præ-  
miorum magnitudinem ſpectaremus . Excitemus  
languentem, & ſocordè animum id genus ſtimulis.  
*Mercenarius, quod grave perpendit ex opere, leve existi-  
mat ex remuneratione. Greg.*

## S. SEBASTIANVS.

20. Januarii.

*Intrate per anguſtam portam: quia  
lata porta, & ſpacioſa via eſt,  
qua ducit ad perditionem, &  
multi ſunt, qui intrant per eam.  
Chriſtus. Matth. cap. 7.*

**A**Nno poſt CHRISTVM natum LXXX  
VI. ſupra CC. Marcus & Marcellianus  
Chriſtiani milites ad defectionem vehementer

D

ter



ter à parentibus sollicitabantur: enimvero  
interponere se hic Tribunus SEBASTIA  
NVS, turpemq; à tam sanctis castris fugam  
omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælus  
applausit, pinnæque oratorem lumine su  
vestiit, simul vox insonuit ejuscemodi: *ma  
quam non mecum eris.* Ab eo tempore non ja  
fictum Æsculapium Romani habuerunt  
Ita omnes morbos pellere SEBASTIANVM  
ita doctè, dum corpori medicinam facere  
animum quoque morbidorum ad sanam  
dem adducere. Inter hos cum jam urbi  
am præfectus numeraretur, Imperio Dioc  
tiani malè sani medicum suum sagittis co  
fodiunt, confossum & propè exanimem  
gligunt. Sed qui SEBASTIANI manu  
rare alios voluit, suâ SEBASTIANVM  
possit è imò verò adest ille incolumis, &  
aspectum Tyranni iterum se sistit: mox  
men inter fustuarium fortem animam  
pirat, corpusque in cloacas abjectum Lu  
næ tumulandum committit. *Hac ex S*  
Cæterum ejus cranio hodie Ebersperga  
jorum gloriatur magnâ semper illuc con  
entium Religione, longè tamen majori  
cedentium, ubi votorum damnati  
sunt, lætitiâ.

MEI



*De Beatorum paucitate.*

1. **P**Auci sunt electi. Ethnici, Idololatræ, Hæretici, Schismatici funditus pereunt, tot insuper sunt barbari homines, ad quos nondum pervenit Evangelij lumen. Hos inter infideles si natus fuisses, quodnam tenuisses vitæ genus? Quanta tibi debeo, Deus amantissime, quod ex Christianis parentibus ortum me volueris? At gravius me manet supplicium, si malè concessis luminibus usus fuero.
2. Tot sunt mali Christiani, tot impij, tot solutioris vitæ amantes, qui nunquam Deum videbunt. O te miserum! eorum si fueris imitatus pravitatem: quos etenim in vitiis, eos in supplicijs comitabere. Precibus, pijs sermonibus, bonis exemplis consule eorum saluti. Ne superbias: in eorum quippe vitia præceps rueres, si tuæ ipsius infirmitati te permitteret Deus.
3. Effrenatam fortè, aut impiam vitam non ducis, sed vivis, ut unus de vulgo Christianorū. Cave; nam sequi debes pulillum gregem, per angustam portam ingredientem. Noli vitam tuam instituere ex mundanorum exemplo, aut ex pravâ consuetudine; sed ex Evangelio Christi, ratione, ac Sanctorum exemplis, quia in mundo nunc consensere *jura peccati*. & cepit licitum esse, quod publicum factum est. Cyprian.



280] 52. [080  
S. AGNES V. & M.

21. Januarii.

*Gaudeamus, & exultemus, & de-  
mus gloriam ei, quia venerunt  
nuptia Agni, & uxor eius præ-  
paravit se. Apoc. 9.*

**A**GNES è prima Romæ nobilitate vix-  
it. Nam Agno dudum nupta, dum obla-  
tum à filio Vrbi Præfecti thalamum longè  
repudiat, vestibus spoliata in lustrum abri-  
pitur; sed mox ab Angelo bono, divinâ luce  
contra impuros armatur, & veste de cæle-  
stis datâ ornatur. Irrumpentem exinde, de qua  
dixeramus, CHRISTI rivalem, idcircoque  
malo dæmone suffocatum, virâ iterum do-  
nat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur  
sed quas ad preces virginis cælestis ros illic  
extinxit. Gladio denique trajicitur non  
urbis Romæ (sed virgo, at non latro) Lu-  
cretia. Porrò dum Emerentiana Virgo  
AGNETIS tumulum precatur, lapidibus  
obruta, suoque lustrata sanguine (nam fo-



te sacro non erat ) à Parentibus AGNETIS  
propè Filiam conditur; quibus non multò  
post inter candidarum Virginum agmen A-  
GNES cum AGNO sponso suo visendam se  
dedit, vetuitque deinceps moerere, & tam  
felicem thalamum, quem optimè nupta in-  
scendisset, lachrimis aspergere.

*Ex S. Ambr. & Brev. Rom.*

M E D I T A T I O

*In vitam S. Agnetis.*

1. **A**Nnum agens duodecimum, vitam, castita-  
tem, corpus, & animum JESU consecra-  
vit. Quàm amabilem! quàm speciosum! quàm sa-  
pientem! quàm potentem! quàm ardentem red-  
mantem sponsum elegit. Te totum illi trade, &  
amoris illius gustabis suavitatem. O JESU, ô Spon-  
se animæ meæ! si te noscerent homines, neglectis  
terrenis quibusque te solum amarent. *Amo te Do-  
mine, & s. parum est, amem validius, amem purius.*  
August.

2. Repetitis minis ad nubendum filio præfecti  
Romani cogitur, sed, *iam pridem* ( inquit ) *despon-  
sata sum Christo.* In mediis ignibus ejus in Deum  
amor accenditur magis, & vulneribus fit pulchrior  
ac similior Cælesti sponso. Quâ custodiâ servas  
corpus, & animum tuum amantissimo JESU? Quid  
pateris? te ipse cum Agnete compara: & pudeat  
te, ignaviorem esse Virgine duodecim annorum.

D.

Viribus



Viribus quidem erat inferior, at animo superior  
& ejus tum fides, tum charitas major.

3. Amplioris fortunæ promissis allicitur ad nuptias; sed ut suppliciiis, sic lenociniis resistit. Quam pauci delitiis, muneribus, blanditiis non vincuntur. Cave, voluptas venenum suave est. *Malum omni facilius vincitur, quam voluptas; quia illud quidquid horridum est, hoc blandum est.* Cyprian,

## S. ANASTASIVS

22. Januarii.

*Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.*

S. Paulus ad Rom, 12

**O**Pima spolia abstulisse in Persiam Chosroas putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè, multorum fides nostra in animum simul Crux in oculos venit, interque ANASTASII celebris magi filij, qui, e de Cruce Crucisque anathemate multo riosè quæreret, jam tum gestiebat magi pati pro maxima patiente Christo. Itaque sanctissimus transfuga Jerosolymæ Christianum, mox Monachum induit: nullâ re delectatus, uti res fortiter à Divis gestas

gen



gendo, Martyribus præsertim, quibus ille  
 tot palmas Tyro inuidebat, & interea, cum  
 sanguinem nondum posset, lachrymas uber-  
 tim fundebat. Ut primùm ergò in privato  
 pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò  
 hostem lacessens. Igitur ad latomias dam-  
 natus, saxa tulit, dein verbera; at ille supi-  
 nus membra etiam nuda lubens pulsanda  
 præbuit, modò vestibus sanctis parcerent.  
 Tanti ille jam tunc fecit cucullum, quem  
 heri natus, ridet hodie hæreticus; Cæterùm  
 collum pedemq; communibus cum nescio  
 quo scelerato vinculis ligatus, dies noctesq;  
 velut Hilaria inter cantus solennes traduxit,  
 ut jam ad se Coelites etiam raperet, ponti-  
 ficali majestate, & insolito splendore insi-  
 gnes, quos inter visus est unus aliquis odo-  
 ribus (Ah! qualibus?) Martyrem venerari.  
 Igitur post altera virgarum clavæque verbe-  
 ra, post tibias fractas aliâq; supplicia tandem  
 cum XL. fociis, Martyrum torque, laqueo  
 est donatus. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O

*De triplici causâ patiendi.*

I. **I**N hac miseriarum valle pati debemus, utpote  
 cum homines simus ad laborem nati, Corpus

D 4 &



& animam nostrā multa circumveniunt incommo-  
 da. Corpus quidem infirmitatibus obnoxium est  
 anima vetō ignorantia, & affectibus immoderatis.  
 Quo animo pateris vitæ presentis incommoda  
 Num moroso? Num iniquo? Memineris hominem  
 te esse. *Homo natus ad laborem.* Job.

2. Peccator es, quid igitur infliccos & divini  
 Justitiæ labores detrectas? Ah! quam jucundi  
 runt dolores illi, si reputaveris, te tuis criminibus  
 infernum meritum fuisse. Unicum laboris momen-  
 tum æternas flammās extinguit. Ah Domine! *Hu-*  
*ire, bis seca, modè in æternam parcas.* August.

3. Christianus es, debēs igitur vivere vitam  
 Christi, & adimplere in corpore tuo ea, quæ de  
 sunt, passionum eius: ea necessitas in baptismo in-  
 ponitur tibi: Si diligenter ad eam patiendi legem  
 attenderes, æquiori animo hujus vitæ mala tolera-  
 res: decet Christianam, æquo ac alacri animo  
 omnia perpeti.

## S. JOAN. ELEEMOS.

23. Januarii.

*Quicumq; potum dederit uni ex mi-*  
*nimis istis Calicem aquæ frigida-*  
*tantum in nomine discipuli: Amen*  
*men dico vobis, non perdet mercedem suam.* Christus, Matth. cap. 10.



**C**um Annum ageret XV. IOANNES,  
 Misericordia divina manifestâ in luce  
 Sponsam se ei obtulit. Annuie continuo.  
 Et ratum conjugium Superi habuerunt, do-  
 tēmq; addiderunt tam opulentam, ut sem-  
 per deinde haberet, quod in egenos effun-  
 deret. Archiepiscopus jam Alexandrinus lu-  
 strum egit clientum suorum, hoc est, pau-  
 perum, numeravitq; septies mille, & quin-  
 quaginta, quibus omnibus deinceps in sin-  
 gulos dies victū subministravit. Sed nec ulli  
 alii piam manū unquam subduxit; ut meritò  
 id certaminis cum DEO suscepisse sit visus,  
 plusne hic dare, an reddere ille posset. Mu-  
 nificentiam vel ex eo vide, quòd ultimùm  
 ægrotanti unicus super teruncius fuerit, vix  
 naulum morituro. Ipse in testamenti sui ta-  
 bulis reperisse ingenuè se fatetur in arario  
 auri pondo octies mille, & hæc decies milli-  
 es & amplius aucta dilapidasse in pauperes.  
 gloriatur. Anno igitur D XC II. è corporis  
 ergastulo in palatium abiit, quod piæ ipsius  
 munificentiaë structum in Cælo Troilus vi-  
 dit. & verò invidit postea; cum tam bonæ  
 prodigalitatis æmulus est factus. Venienti  
 obviam IOANNI sua à coelo sponsa proces-  
 sit cœlestis aulae cubiculario comitata, ma-  
 nusque



nique peramanter prehensum ad DEI con-  
spectum deduxit. Ipse IOANNES nec mor-  
tuus sibi dissimilis, oleo, quod è tumulo  
suo dedit, in miseros mitis esse petrexit.

Ex Surio.

MEDITATIO

*De charitate in pauperes.*

1. **S**I Deus mercedem ei promittat, qui *Calicem*  
*Saqua frigida* dederit, quàm mercedem datu-  
rus est iis, qui largiori manu stipem pauperibus  
erogârint, & fratrum suorum, tum animi, tum  
corporis necessitatibus servierint. Quot occasio-  
nes dimittimus aliis benignè faciendi? Cùm aderi  
decretorius dies, Deus repetet rationem harum  
occasionum. Salus videtur à misericordiâ vel im-  
misericordiâ omninò pendere. In iudicio Deus abra-  
ham obedientiam, ceterasq; virtutes flet, & solum cla-  
mat, quod carredit pauper. Chrysostom.

2. Quidquid boni, aut mali proximo, Christo  
fecisti. Omnes Christiani Corpus unum sunt, cuius  
caput est Christus: membrum qui ferit, ferit &  
caput. O te felicem! Si potum, aut vestimentum  
dares Christo, hæc omnia præstas, in pauperes  
beneficus.

3. Quâ ratione iudicaverimus alios, eâ prorsus  
iudicabimur; dabitur, si dederimus; ignoscetur, si  
ignoverimus. In nos itaque redundat bonum &  
malum: Sed quàm turpe est (ait August.) homi-  
nes



con.  
mor.  
nulo  
xit.  
  
alicer  
datu-  
ribus  
tum  
cafo-  
aderi  
arum  
el im-  
bra  
n cla-  
  
risto  
cujus  
it &  
ntum  
peret  
  
or fu-  
ur,  
im d  
omn  
nes

\*0] 59. [0x

nes ab hominibus malè haberi, perinde quasi læ-  
viùs cruciaretur à tot, & tam variis rebus creatis.

## S. TIMOTHEVS EPISCOPVS.

24. Januarii.

*Insta opportunè importunè, argue,  
obsecra, increpa in omni patientià,  
& doctrinà, S. Paul. ad Tim. 2. Ep. c. 4.*

**H**Abuit Timotheus Patriam Lycaoniam,  
Patrem Gentilem, Matrem Iudæam,  
Magistrum in lege Christianà Paulum Apo-  
stolum: Cujus in Evangelio adjutor, hæres  
Zeli, & virtutum tanti viri religiosus imita-  
tor. Lystris postquam Paulus Claudum in-  
pedes erexit, Timotheum peperit Christo.  
In eo Ingenium & virtus certârunt ita, ut  
utrique palma obveniret. Ob quæ decora  
cum Apostolus suis in Epistolis *Fraterem, filium  
Charissimum & fidelem in Domino: nonnunquam,  
Dei ministrum suig, adjutorem Evangelij* nominat.  
Abstinencia in eo fuit singularis: ob ortas  
inde frequentes infirmitates jussus est à Pau-  
lo modico vino uti. Nec solùm ex vase illo  
electionis divini eloquii lac hausit, sed &  
Ioan-



Ioannem habuit præceptorem. Certè ab hac  
 Aquilâ genuinus probatus est partus, ut non  
 modò Christum contemplaretur; sed & alio  
 cò perduceret, quando Ioannes Domitian  
 iussu in exiliũ profectus. Timotheum. Ephe  
 sinis Episcopum reliquit: quam spartam mi  
 rã sanctitate & gloriosã morte ornavit; qu  
 dum insanas argueret Gentilium superstitio  
 nes, melioraque moneret, pro monitis sax  
 is est obrutus. Corpus eius in loco, Pion di  
 cto, Christiana pietas condidit, & quem ob  
 sequiis ultrà nequierunt, lachrymis sunt  
 profecuti. *Ex Surio.*

MEDITATIO

*De triplici effectu Zeli animarum.*

1. **S**I minùs Apostolorum dignitatem, zelum cer  
 eundum scientiam, si nostræ primum conversioni  
 incubuerimus. in convertendis parentibus, amicis  
 domesticis tanto zelo inflammatus videris; lauda  
 bilis quidem est zelus ejusmodi: sed primùm omni  
 um cura te ipsum. *Accusamus sapè, quod facimus, con  
 tra nosmetipsos. diserti, in nostra vitia invehimus.*  
 Hieron.

2. da operam, ut piis verbis plures allicias ad  
 virtutem: Amabat Christus cum pueris, atq; cum  
 Samaritanâ colloqui, iis nimirum ut cæli viam in  
 dicaret.



dicaret. Apposito verbo, quod opportunè dixeris, sapè propinqui, amici, aut domestici animam in-  
crificas Christo. IESVS torum Sanguinem fudit,  
ut hanc animam redimeret; tu verò ut eam serves  
redemptori, vel verbulum dicere gravaris! Ubi  
Charitas tua?

3. Verus ille est Apostolus, qui suadet factis, &  
morum integritate: is certè plus movebit, quàm  
magni nominis oratores: multi solutioris ac nequi-  
oris vitæ homines, visâ ejus modestiâ, respicient:  
Quot dimittis occasiones proximi salutem promo-  
vendi? Haud dubiè (ait S. Gregorius) à te repe-  
tet Deus rationem animæ fratris tui, si, cum potes  
ejus procurare salutem, neglexeris.

## CONVERSIO

S. PAULI.

25. Januarii.

*Vas electionis est mihi iste, ut portet  
nomen meum coram gentibus. Act. 9.*

**A**Nnus, qui post CHRISTI ad Superos  
reditum erat secundus, idem secun-  
dissimus SAULO fuit. Hoc enim ille, personâ  
feliciter positâ, PAULUM induit, adnitente  
potissimùm apud DEVM Stephano, non  
minùs tum in cælis, quàm terris olim pro  
hostibus



hostibus suis pie sollicito. Ibat SAVLVS mi-  
 narum plenus, & in vincula ipsam ( si supe-  
 ri sinerent ) Fidem tradurus; cum ecce tibi  
 subita ab alto vis fulgorque audaciam atro-  
 nito omnem excutit, & feroces humi spiri-  
 ritus cum Domino suo affligit, simul vo-  
 istiusmodi celo intonat: *Saule, Saule quid me*  
*persequeris?* mox sciscitanti: *quis es Domine?* respon-  
 sum, redditur: *Ego sum IESVS Nazarenus, quem tu*  
*persequeris.* Atq; hæc demum vox, illam no-  
 bilissimam expressit: *Domine quid me vis facere?*  
 Ergo Damascum conferre se iustus, eò à co-  
 mitibus & ipsis rerum gestarum miracul-  
 stupentibus adducitur. Ibi triduum apertis  
 oculis cæcus ac jejūnus ab Ananiã demum  
 & oculorum, &, quod caput est, Fidei de-  
 natur lumine. Hoc ille deinceps per  
 mnes provincias circumferens tot Gentibus  
 accendit, ut rem mihi attentius confide-  
 ranti, unus quidem hodie eccidisse PAV-  
 LVS, cæterum surrexisse cum PAVLO  
 tus orbis videatur. *Ex Act. Apost.*

### MEDITATIO

#### *De conversione S. Pauli.*

1. **C**Um Paulus vocatur, prosternitur, & i-  
 cipitur ad tertium cælum; creata non videtur  
 qui



quia vidit increatum. Cupisne ex animo mores emendare? Audi vocem divinam: Deus quippe loquitur, cum avellit à voluptatibus, parentibus amicis: fulgura sunt illa omnia, quibus moneris, ut neglectis nugis sæculi, cælestia duntaxat mediteris. Quoties Deus hisce luminibus mentem tuam illustravit? quoties, loquens cordi tuo dixit: Miser, *Quid me persequeris?*

2. Audit vocem DEI, & respondit: *Quis es Domine?* Proba spiritus, an ex Deo sint: vide, an voce vanitatis, aut curiositatis ad hoc opus, specie tam sanctum alliciaris; an verò voce CHRISTI? & ubi cognoscens vocem Domini, tunc, animo ad omnia parato, responde eum sancto Paulo: *Domine quid me vis facere?*

3. Sine morâ mandata Christi exequitur Paulus, properat ad Ananiam, ut fidei mysteriis imbuatur. Vis, ut feliciter tibi eadat grande conversionis negotium? Noli differre; elige sapientem, & doctum conscientiæ moderatorem, qui divinam tibi voluntatem interpretetur, & quamprimùm illam exequere, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Eccles.

---

## S. PAULA VIDUA.

26 Januarii.

*Beati estis, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Christus, Marc. cap. 6.

Paulam.



**P**AULAM nemo depinget satis condignè,  
 nisi Hieronymi penicillo utatur. Um-  
 bram dabo, quisquis alius tentaverit. Hæc  
 est illa PAULA Romana, quæ quot liberos  
 edidit mundo, tot cælo dicavit. Et ne ipsa  
 terris linqueretur sola, mortuo Coniuge,  
 Deo uni vixit, dum vixit: Nec Roma tan-  
 tum virtutem capere passa est; & Bethle-  
 hem novam suspexit stellam. Licet erraticam  
 per tanta viarum intervalla, at fixam  
 in Pietatis cælo. Exile tuguriolum, Palatium,  
 & Præsepium Domini amplissimis gazis præ-  
 habuit. Nunquam Christo charior, quam  
 quando vestigiis eius vicinior. Quas Romæ  
 secum asportaverat opes, in lapidibus pro  
 instituendis monasteriis optimè dilapidavit.  
 se Christo similiorem reputans, quò pau-  
 perior pauperem imitaretur. Sed & suis  
 natis hæreditatem attribuit, dum ait: Natis  
 meis nihil quicquam melius relinquere  
 possum, quam misericordiam Dei. Du-  
 plices fundebat lachrymas: has doloris,  
 istas amoris: has ad Nervos (si quos tanta  
 Sanctitas committere potuit) eluendos.  
 istas videndæ divinæ Majestatis desiderio li-  
 quefacta. Nec ab his sibi temperasset un-  
 quam, nisi mors, nè guttas darent ultra  
 oculos clausisset,

MEDITATIO



## M E D I T A T I O

*De lachrimis S. Paulæ*

1. **P**AULA mundum fugit, ut negotiis expedita facilius reliquos vite suæ dies pietati vacet. Eam imitare. Abstine hilarioribus cætibus, ama solitudinem, ama piorum librorum lectionem. Quid moraris? Quid non consecras Deo, quod tibi superest temporis? Heu! totum ferè absumpsit mundus / reliquum saltem petenti Christo concede.

2. Uberius flebat leviora, quæ videntur peccata; ea (inquiens) qua mundo placere studuit, nunquam debet displicere Deo. Luge tempus absumptum deliciis, & vanitatibus. Quò demùm abière florentes anni? Quò voluptates? Eorum nihil planè restat, nisi tristis memoria peccatorum, quæ commisit, ut illis voluptatibus fruereris. Hæc peccata lachrimis dele. O suaves lachrimæ, quibus ignes purgatorii restinguuntur! *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine anima mea.* Ezech.

3. Afflictiones & persecutiones perpetuos fletus eliciunt ex oculis tuis: diripiuntur tua bona, tædio, morbo, tristitiâ tantùm non conficeris, humanis demùm miseriis continuò ingemiscis: Macte, absterge lachrimas, non hominibus, sed soli Deo confide, aperi JESU crucifixo dolores & labores tuos, ejus consilium exquire. Brevi tristitia vertetur in gaudium. *Vbi passionis sacramenta junguntur, omnis amaritudo spiritualiter conditur.* Ambros.

E

S. CHRYS.



## S. CHRYSOSTOMUS

27. Januarii.

*Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

S. Pet. I. cap. 2.

**C**HRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter Chrysoſtomus, nos umbram damus. Nondum Pontifex Bizantinus erat IOANNES, cum in eius conſpectum ſedit Apoſtolorum Princeps D. Ioanne Evang comite, & ſanctioris poteſtatis ac magiſteri indices claves illi ac librum obtulit. Et vero quid mirum, ſi hoc Doctore etiamnum Orbis gaudeat: qui præceptorem magni Paulum, imò eundem cum Paulo Magiſtrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti ſuo, dum ſacris operaretur, conſpexit ipſe: illum, dum ad menſam ſcriberet, aſſiſtere dictanti ſimilem, alii etiam viderunt. Talis itaque IOANNES cum urbem ſuam hæreticos, & cum his vitia alia, ac blaſphemiam imprimis proſcriberet, ſanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui juſtiq; unicuique amator in odium Auguſtæ Eudoxiæ incidit prof



cidit: nam IOANNES Imperii sui etiam in  
Reges memor, templi aditu gravibus ex  
causis profanam prohibuerat, & in statuam  
ejus, quæ propter templum choreis ludisq;  
non sanctis colebatur, graviter detonuerat;  
jamq; secundum exul in meliorem patriam  
cælum abiit: ad id à geminis, quos supra  
memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basi-  
liseo invitatus. Siluit itaq; aureum hoc os  
anno post reparatam salutem septimo supra  
quadringentesimum. *Ex Suario.*

## MEDITATIO

*De bono exemplo.*

1. **C**Hrysoſtomus, non minùs factis, quàm ver-  
bis omnes hortabatur ad virtutem. Duo  
manant ex alienæ virtutis consideratione. Primum  
amor ejusdem virtutis, alterum imitatio. Vellet  
unusquisque virtute esse præditus, sed multos ab  
eâ exercendâ deterrent fictæ difficultates, quas re-  
moveret bonum exemplum: Etenim confidimus, ea  
posse nos, quæ adolescentuli, & puellæ tam facilè  
potuerunt.

2. Nihil Deo gratius feceris, nihil tibi proxi-  
mòque utilius, quàm si bono exemplo virtutem  
facilem esse persuaseris: ô te felicem! si pio viven-  
di instituto consulas salutem hominis, pro quo mor-  
tuus est Christus, & cui sine te sanguis Christi non  
profuisset.



3. In externis actionibus, hæc duo potissimum cura, ut Deo placeas, & hominibus sis bono exemplo; Omitte, quidquid fratrem tuum offendit illius ergò mortuus est Christus; tu verò, ut etus fiat frater tuus, vel tantulâ voluptate abstini gravaberis? Domine si minùs idoneus sim, concionibus doceam alios virtutem, bono ce exemplo illorum conversioni consulam. *Effica vita, quàm lingua testimonium, habent & opera v suam tacente linguâ.* Cyprian.

S. JACOB. POENIT

28. Januarii.

*Sicut fuit sensus vester, ut errare à Deo, decies tantum iterum convertentes requireretis eum.* Baruch

**H**ominis, mi lector, speculum cape, peccantis & poenitentis, IACOBUS inaspice. Hic postquam Anachoretus XLII annis DEO militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno tulit plurima; id ætatis vir à fæminâ demum triumphatur, & ab ea fæmina, in quâ ipsa cacodæmona non horruerat, imò è quâ etum eiecerat. Huic itaque infelix pudorem, mox vitam extorquet. & v



tertium scelus accumulasset desperabundus  
 & victum se mundo dedisset, nisi à tam tur-  
 pi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retra-  
 xisset. Tum enim verò ad se redire IACOBUS  
 sepulchrum vivus subire, mortem suam vi-  
 vus deslere in decimum annum usque: cælo  
 interim oculos nunquam attollere, vix se-  
 mel aut iterum in hebdomade de herbulis  
 vesci, quæ ad osium conditorii crevissent.  
 I I Ipe certè Apostolus peccato mortuum di-  
 xisset. Sed nunquam pulchrius ille vixit,  
 quàm sic mortuus. Nam suppliciiis his spon-  
 taneis placatum Numen, disertis verbis ex  
 Episcopis nonnemini significavit, beatum  
 umbrem, quem tam anxie, sed necquicquam  
 postulabant, non nisi ad preces IACOBI  
 concedendum. Atque hoc aliisq; ejuscemo-  
 di miris, cum iterum Orbi innotuisset, mo-  
 COBri denique desit annos natus LXXV. habu-  
 s XLitque novo more unum idem & domicili-  
 um & sepulchrum. Ex Surio.

## MEDITATIO

*Instrumenta malitia fiant pœniten-  
 tia arma.*

**M**Agdalena pœnitens lachrimis cepit rigare  
 pedes JESU, & capillis capitis sui tergebat & os  
 E 3



En omnia peccatorum instrumenta coëgit in ob-  
 quium Christi. Oculos lascivix illices jam im-  
 fontibus lachrimarum: capillos auro & gemmis in  
 textos, jam pro perisemate admoveat abluend  
 Christi pedibus. Unguenta, quibus delibuta fragran-  
 bat in odorem mundi, jam alabastro fracto effu-  
 dit in odorem suavitatis in caput, & pedes Christi

2. O si & tu, quod tibi turpiter exhibuisti, jam  
 Deo laudabiliter offeras & quot in te habuisti ob-  
 leſtamenta, tot de te invenias holocausta, ut totum  
 serviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex te Deus  
 contempserat in culpâ. Gregor. hom. 33. Exem-  
 plum desideras? Iacobum hinc lege pœnitentem.

3. Si cum Iacobo pœnitente & Magdalena fletu  
 te, non potes decies plus requirere Deum per pœ-  
 nitentiam, quem offendisti millies per peccandi  
 centiam; saltem tantundem pœniteas, quantum  
 peccasti; consulente Apostolo Rom. 6. sicut ex-  
 hibuistis membra vestra servire immunditiæ, & in-  
 quitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra  
 vestra servire justitiæ in sanctificationem.

## S. FRANCISCUS SALESIVS.

29 januarij.

*Discite à me, quia mitis sum, & hu-  
 milis corde, & invenietis requiem  
 animabus vestris. Christus. Matth. c. 11*



**F**Ranciscum mundo, & nomen Francisco  
 dedit Salesium Gallia oppidum. Nobilitavit à teneris stemma, sed decus addidit  
 vitæ integritas; quæ ne lateret, omnibus  
 liberalibus disciplinis imbutus, juris vacavit  
 prudentiæ; ita tamen ut ei comitem ad-  
 junxerit, mundo raram, sed cælo charam  
 prudentiam, quâ instructus, nullâ docente  
 lege, omni suo juri, quod habebat in car-  
 nem, voto castitatis in æde lauretana emis-  
 so resignavit, suumque dominium transtu-  
 lit in Mariam. Prudens translatio: jure a-  
 misso proprio, nec benè fundato, acquirit  
 sempiternum; quod ut securius possideret,  
 recusavit in senatu Sabaudia amplissimam  
 dignitatem, eique sacerdotalem prætulit, in  
 qua Ecclesiæ Genevensis Præpositus, & ve-  
 rus Christi Apostolus, septuaginta duo mil-  
 lia Calvinii lue infestiarum animarum Chri-  
 sto lucratus est: Dignus ut crearetur Epif-  
 copus, & Pastor Ecclesiæ, qui tot oves unæ  
 & vero ovili restituit, nec decuit tam ar-  
 dentem lucernam sub modio abscondi, sed in  
 Candelabro prælucere, quippe quæ Ecclesiæ  
 splendorem & novo adauxit religiosarum  
 Virginum ordine & scriptis Seraphicis illu-  
 stravit. Obiit Anno 1622. & ne à terris ab-  
 sens



fens cessaret prodesse hominibus, Cor mi-  
raculis clarescens Lugdunensibus legavit  
imitandæ virtutis illicium.

## MEDITATIO

*De Corde S. Francisci Salesij.*

1. **C**or S. Francisci ignibus divini amoris sic  
ardebat, ut nihil non moliretur Dei glo-  
riz & animarum salutis causâ. huc referebat con-  
ciones, huc congressus, huc libros. Ah! si per-  
inde Deum amares, atque ille; nihili duceres divi-  
tias, voluptates, honores; nullam prætermitteres oc-  
casionem de Deo loquendi, & amorem ejus in a-  
liorum animis accedendi. O Deus amabilissime!  
unde tam parum amaris? O ignis! qui semper ardes,  
& nunquam extingueris, accende me. Aug.
2. Carebat felle cor Francisci, & purum mel in  
proximi sinum effundebat, ægrotos solabatur, pau-  
peribus dabat eleemosynam, docebat peccatores,  
& errantes oves ad ovile JESU Christi mirâ suavi-  
tate pelliciebat, studebat singulari mansuetudine a-  
lios sibi devincire, ut eosdem postmodum adjun-  
geret & Christo. Quàm malè Sancti hujus exprimis  
mansuetudinem! quàm dissimilia sunt verba tua, fa-  
cta, judicia!
3. Cor demùm illius, quod efflictim Deum de-  
peribat, & proximum suavissimâ pietate comple-  
tebatur; maxime oderat delicias, frænabat sensus,  
& omnes animi motus omnino domitos habebat.

Diligenter







die nova nupta dotem suam vel in templo  
vel pauperes dispertivit, etiam has nuptias  
probaturum Numen, aquam bibenti in vi-  
num vertit. Sed illa, ut pulchriorem se  
Sponso suo probaret, multis precibus carci-  
noma, velut formæ pigmentum à cælo ex-  
torfit. Ultimùm ægra, cùm è manu D. Pe-  
tri manna gustasset, nauscavit ab hinc om-  
nes humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus  
adventantibus, & inter hos Augustissimâ cæ-  
li REGINA, deducta est, ubi illis deliciis  
quotidie frueretur. *Ex Sur, & Lippeloo.*

## M E D I T A T I O

*De triplici gradu Mortificationis.*

1. **A**ldegundis aulæ tumultum fugit, ut solitu-  
dinis tranquillitate potiatur; respuit volupta-  
tes, & divitias, ut imitetur patientiam, & pauper-  
tatem Christi. A tanto tempore vocat te Christus,  
quandouam audies vocem ejus? Hæc Virgo max-  
ima superat impedimenta; tu verò minimâ difficul-  
tate superaris. Ama JESUM: time infernum, &  
tuis vinculis expedieris: nam *facile rumpit hac vincu-  
la amor Christi, & gehenna timor.* Hieron.

2. Hæc Sponsa JESU Christi, ubi pleraq; amo-  
ris signa sacro sponso dedisset, ab eo etiam atque  
etiam contendit, ( Delicatuli, petitionem Aldegun-  
dis audite, ut pudeat vos ignaviæ vestræ ) contem-  
dit



dit [ inquam ] ut cancro exesas ejus mammas vellet. An simile quidquam adhuc Deum rogasti, tu, qui sanctorum neminem non rogas, ut minimo dolore libereris? Dolores tamen, & labores, sunt blanditiæ, & beneficia Christi.

3. Parum erat, delitiis omnibus carere, & acerbissimo dolore cruciari: rogat insuper Deum suum, ut tum cibi, tum potûs fastidium inducat: fit voti compos, accepto siquidem à S. Petro mannâ cælesti, dulcia quæque fercula fastidiebat. Quid dicis ad hæc, voluptuarie, qui omnem quæris corporis voluptatem? *Peto Domine, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas anima mea.*

---

# S. P E T R U S N O L A S C V S.

31. Januarij.

*Majorem hanc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15.*

**S** Petrum genere nobilem, dedit Ecclesiæ S. Gallia, quo fructu, jam in cunis præsa-  
giit examen apum, quod infantis dexteræ favum mellis imposuit, ut è forti duleedinem, & è dolci fortitudinem in Christianos  
osten-



ostenderet emanaturam. Hoc ut opere probaret, ab Albigenſium Hæreticorum veneno præſervatus, vovit animam ſuam dare pro amicis ſuis, quâ majorem charitatem nemo habet. Placuit Matri Miſericordiæ affectus tam miſericors, eiſque noctu oranti apparens, ſibi ſuoque filio gratiſſimum fore ſuggeſſit, ſi Ordinem de captivis à Barbarorum tyrannide liberandis inſtitueret. Paruit cæleſti monito, non jam ſuus, ſed proximi; & invênit divinâ bonitate præmonitos tantæ in proximos charitatis comites, qui ſe offerrent in obſides, & ne lytrum decſſet, coronam & ſceptrum obtulit Iacobus Arragonum Rex, quod tamen quantumvis magnum, cum Petro videretur parvum, maximum quod habuit, obtulit in pretium libertatis alienæ, Deoq; votum nuncupavit, ſe ipſum dandi in pignus pro captivis ſub Pagano jugo Chriſtianis. Tu ſi alios non vis aut potes; te ſaltem Barbara exue captivitate carnis & jugo mundi.

## M E D I T A T I O

*De vitâ S. Petri Nolæſci.*

1. **T**anta fuit ejus in pauperes charitas, ut omnia bona ſua pauperibus largitus ſit. Primum



num hunc charitatis ejus effectum imitare. Quid adhuc fecisti ad proximi tui solatium? quid facturus es? si minus bonis, saltem precibus eum adjuves, & ejus vitia æquo animo feras.

2. Inaudita prorsus incensus charitate, lubenter (ajebat) toto vitæ meæ tempore in vinculis essem, si vel unum Christianum iis possem expedire. Quis posses corpus tuum proximi causâ devovere, tu, qui ægrè admodum soles nummulum dare pauperi? Vult tamen Christus, ut solvas fratribus tuis, quod ipsis debes, vinculis opem feras, mæstos soleris, nullique verbis durioribus, aut ingenio morosiori incommode sis. *Quem contemnere vis, pretium ejus attende, & cum morte Christi totum mundum appende.* August.

3. Hoc potissimum habuit in animo clarus iste Fundator, ut ab interitu sempiterno vindicaret animos Christianorum, quorum fides diuturnioris captivitatis tædio periclitaretur, ideoque cum corpori, tum animæ eorum sedulo consulebat. Nihil utilius feceris proximo tuo, quàm si incumbas ad salutem animæ ejus: quare nullam ejusmodi prætermittas occasionem.

